



Nobilissime et Perillustri DOMINE,

Litterae tuae omnes prorsus melleae sunt, et amorem eruditâ suavitate imbuunt: meae (quid dicam?) plus nauseae quam dulcedinis habent, interdum vero etiam libertate suâ peccant. Sed alienis in negotiis postquam molestus tibi non semel fui, audebo et in meis humanitatem tuam tentare; ut quia studiis meis (etiam vernaculis) faves, velis et fortunis. Rem aperio. Filius meus IUSTVS CAECILIVS PUTEANVS uxorem nuper duxit, filiam Nobilis, Docti, et Integerrimi Viri IOANNIS DVPIERZY, cuius si virtutem noveris, et destinatum quieti vitam, amicitiam desideres. Vixerat ille totos decem annos in praedio suo Utsem, prope pagum Balen, non procul Arscoto, fide publicâ Ordinum Foederatorum munitus. Munitus autem ab eo tempore, quo satis erat, domicilii securitatem unico Diplomate impetrasse: quemadmodum manifestum est. Anno enim post novo Edicto sancitum fuit, ut qui cumque in posterum fidei foederatae se commissuri essent, semestrem prius, ac deinde perpetuam securitatem impetrarent: cui Edicto DVPIERZY nequaquam obnoxius erat. Quid tamen? tanquam esset, à militibus Bergensibus ad Somam, et post quietem



decennalem, è praedio suo abductus est, et in custodia detentus. De lytro igitur actum, et grandiori summa, quam captivus immunitatis fiducia rejecit. Vxor vero, ut maritum liberaret, facilius fuit; egitque, ut mille florenos ille promitteret. Hoc negotium tractarunt VANDERMASTIVS index militaris, et SANDEVS quidam, tanquam sponsor, ex eiusmodi tricis solitus lucrum captare. Conditio addita, ut intra dies triginta certiora iuris sui documenta DVPIERZY adferret. Hoc factum, documenta missa sunt, ac biduo antè quam praefixum tempus expiraret. Quà fide sic egerit SANDEVS, nescio. Nam in Iudicio Militari DVPIERZY, tanquam obnoxius condemnatus est: eumque ad Ordines provocatio superasset, hoc etiam innocentiae refugium neglexit SANDEVS, ac praefixiti temporis occasionem elabi passus est. Mille nunc igitur florenos, quibus sumptuum causa trecenti accessere, petit: de quà pecunia sic iam controversia est, non negante solutionem DVPIERZY, sed differente, ut in Babaria res tota componatur. Nunc Affinis Sic mens tanquam infanstum sibi praedium relinquens, illud fide in dotem contulit, ut à IVSTO meo







*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*